

Heinrich Rahn


**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne/ I. D. & Prof. Ord. Ad Exsequias, Quas ... Dn. M. Ioachimo Dasenio, Academiae huius Secretario Vidua maestissima paratas cupit. Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746961375>

Druck Freier  Zugang





Handwritten text on the spine label, including the word "BIBLIOTHEC" and other illegible characters.



Vol. 241. (2.) <SON>











16 729

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS Rabne / J. D  
& Prof. Ord.

AD EXSEQUIAS,

Quas




VIRO Praclarissimo

DN. M. JOACHIMO  
DASENIO,

Academiae hujus SECRETARIO

Vidua maestissima paratas  
cupit,

Omnes omnium ordinum Cives Academicos  
peramanter invitat.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC. XLVI.



**S**ulpitia festivi admodum excitati-  
que ingenii femina, quam Domitiani,  
pessimi imperatoris temporibus,  
præcipue inclaruisse accepimus,  
in poesi ad invidiam excelluit.

Libros amorum, & epistolarum scripsit, qui  
temporum iniquitate sunt intercepti. Præter il-  
los Heroico etiam carmine, & satyrico scribendi  
genere illaudata Domitiani, qui opprobrium  
erat ac dedecus Flaviæ gentis, tempora deflevit,  
sumtâ scribendi occasione ex eo, quod Philo-  
sophos & bonarum artium Professores crudeli  
edicto urbe exegisset. In satyræ hujus hoc loco:

*Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum*

*Cogitat, an terras & patria secula mutat?*

*Quasque dedit quondam MORIENTIBUS eripit artes?*

eleganter, & græca imitatione M O R I E N T E S pro  
mortalibus dixit. Sicut L A T R A N T E S pro canibus,  
V O L A N T E S pro avibus, & alia ejusmodi Latini  
scriptores eâ formâ usurpant. Significantius au-  
tem esse M O R I E N T E S, quàm M O R T A L E S, nemo,  
opinor, negabit, qui intelligit. Mortalis enim po-  
testatem, moriens autem ipsum, ut ita dicam, a-  
ctum moriendi notat. Et profecto morientes su-  
mus, Morimur, ubi vivere nos putamus. Singu-  
lis momentis quantum ad vitam accedit, tan-  
tum decedit. In horas singulas morimur, non vi-  
vimus. — *dum loquimur fugerit invida*

*Ætas.*

Dum



730  
Dum vivere te dicis, id quod dicis, jam vixisti.  
Dum crescimus, vita decrescit. Hunc ipsū quem  
agimus diem, cum morte dividimus. Et nos ta-  
men unam mortem ridiculè timemus; toties  
jam mortui, & morientes? Non enim solūm, ut  
Heraclitus ait, Ignis mors Aeris est generatio; &  
hujus mors, Aquæ: sed id ipsum clarius in homi-  
ne videas. Perit Virilis ætas Senio accedente, pe-  
rit Juventus Virili ætate, Pueritia Juventute, In-  
fantia per Pueritiam. Quin & hesternus dies in  
hodiernum occidit, & hodiernus crastino mori-  
etur. Felices igitur, qui mortem singulis diebus,  
singulis horis, imo totâ vitâ meditantur. At ego,  
inquiât aliquis, vivere volo, qui multa honestè  
facio. Invitus relinquo officia vitæ, quibus fide-  
liter & cum industria fungor. Quid? (ait Seneca)  
tu nescis unum esse ex vitæ officiis, & mori? Nul-  
lum officium relinquis, non enim certus nu-  
merus quem debeas explere, finitur. Officium  
hoc vitæ, ante aliquot dies, explevit etiam felici-  
ter Secretarius Academiæ nostræ M. JOACHI-  
MUS DASENIUS. Natus is Rostochii, celebri  
urbe, Anno c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> CALEND. SEXTIL, inter  
quintam & sextam matutinam: Patre M. GE-  
ORGIO DASENIO, qui olim Mathematicum in  
hac Academia per annos novem & triginta Pro-  
fessor celeberrimus, ante triennium demum,  
postquam annos quinque & septuaginta, gran-  
de ævi spacium, absolvisset, inter mortales esse



desiit. Matrem habuit ELISABETAM HOLSTENIAM, feminam rari exempli, etiam si olim fuisset, M. JOANNIS HOLSTENII, quondam Philosophiæ in Academia nostra Professoris filiam. Avus paternus ipsi fuit JOACHIMUS DASENIUS Prestinensis Ecclesiæ Pastor venerabilis; Avia Hermingard Lensken. Proavum habuit LAURENTIUM DASENIUM Senatorem Plawensem, virum dignitate sua, dum in vivis erat, longè gravissimum: proaviam MARGARETAM Holten. Ab hisce parentibus ad divinum illud & salutare regenerationis lavacrum deductus, ad religionem, ad humanum civilemque cultum institutus, ad morum sanctimoniam eruditus, ad bonarum artium studia cum publicè tum privatim à parvo mox puero adhibitus fuit: in iisq; ita versatus, ut parentes in spem maximam adduxerit fore, ut nec ipsos sumtus fecisset, nec filium pœniteret

— calamo trivisse labellum.

Cum eam ætatem ingressus esset, qua hominis robur & corporis firmitas convalescit, & animus insuper rerum gerendarum cupientissimus est, datus fuit Nobilibus quibusdam pueris rector morum ac disciplinæ, in quibus expoliendis omnem lapidem movisse dicitur eo usque, dum animum induxit, jubente & volente Parente optimo, mutato solo patrio terras longinquas peragrarè. Quanquam enim, si Senecæ fidem habemus.



731  
habemus, per se nemini prodest, neque melio-  
rem, neque sanio-rem, nec Medicum, nec Orato-  
rem peregrinatio facit: sæpe etiam peregrinan-  
tes vitia pro virtutibus arripiunt, & peregrinis  
tantum vestibus induti, non sapientia onusti ad  
suos revertuntur: non tamen ideo nos peregrina-  
tiones ex vita hominum tollendas esse opina-  
mur: sed potius morum ac vitæ magistras esse  
credimus. Qui enim exteris nationes cum ju-  
dicio lustrarunt, cognito rerum publicarum sta-  
tu ac diversitate, exploratis variis mortalium in-  
geniis, moribus, judiciis, excellentes naturæ suæ  
dotes insigni rerum experientia usque, præter  
perceptam ex contemplatione rudium vetu-  
statis, & tot populorum ac urbium, honestissimam  
voluptatem, auxerunt atque exornaverunt: ut  
demum rectius in luce vivere, obire legationes  
publicas, principum interesse consiliis, ac præ-  
esse rebus publicis, videntur. Hæc & alia plurima  
quando cum animo suo attentè cogitaret DA-  
SENIUS, itineri se accinxit, & Lipsiam primum,  
inde Wittebergam profectus est. Hinc Hassiam  
& regionem Buchoviam, cujus caput Fulda, o-  
pidum celebre, dein Hanoviam, mox Francofur-  
tum ad Moenum, liberam imperii civitatem per-  
lustravit, & denique Argentorati pedem fixit.  
Ubi cum studiorum gratiâ aliquamdiu commo-  
rari decrevisset, hospitio & convictu D. DAN-  
HAWERI, at quanti viri? usus fruitus est, cum



quo conjunctissimè vixit. Verum cum in hac Academia per sesquiennium vixisset & jurisprudentiæ, cui sese dicarat, totus incubisset, de reditu in patriam cogitavit, cui se pietatis officio obstrictum esse noverat. Adit itaque prius Friburgum in Brisigavia, Basileam Helvetiorum, Ulmam munitissimam & ditissimam Imperii civitatem: salutavit Augustam Vindelicorum, Norimbergam, Tubingam & alias. Flexo tandem itinere per Coloniam Agrippinam, Vesaliam, Belgium, Frisiam, Hamburgum, feliciter, DEO duce, Rostochium rediit Anno dō Ioc XXXII. Videbat jam Academiæ tredecim: sed una ante omnes, cui operam suam destinarat, eum sibi vindicavit ROSTOCHIENSIS, commisso nimirum SECRETARII munere, quo per annos quatuordecim dextrè, fideliter & singulari cum industria perfunctus est. Eleganter Metellus ille Numidicus ad Quirites: si, inquit, sine uxoribus possemus Quirites esse, omnes eâ molestiâ careremus, sed quoniam ita natura tradidit, ut nec satis commodè vivi possit, naturæ & voluntati divinæ obtemperans Dn. DASENIUS cum honesta & optimè morata virgine CATHARINA, viri reverendi & præstantissimi M JOHANNIS CORFINII Ecclesiastæ quondam ad S. Jacobi bene meriti filia matrimonium iniit,



732

iniit, cum qua VI annos placidè vixit, & ex qua liberos  
suscepit duos ELISABETAM, quæ adhuc in vivis: &  
GEORGIUM ALBERTUM qui paulo post lucis huj<sup>9</sup>  
usuram acceptam satis concessit. Cumq; ita dispen-  
te DEO Opt. Max. suam CATHARINAM amisisset,  
transiit ad vota secunda; & anno clo lbc XXXIX, vir-  
ginem lectissimam ANNAM, viri admodum Reveren-  
di & Clarissimi M. CHRISTIANI MICHAELIS Pa-  
storis ad D. Jacobi vigilantissimi filiam natu majorem  
duxit, ex qua filiulam unam sustulit, cui nomē ANNÆ  
CATHARINÆ, quæ nunc *ὁρφαλέεσσα*; Et hoc posterius  
conjugium septem annorum fuit. Et licet Defunct<sup>9</sup>  
corpore satis firmo esse videretur, obnoxius tamen fu-  
it morbo cuidam intus quidem in visceribus aliquan-  
diu latitanti; ante menses autem plus minus novem  
apertius prorepenti, quem Exeellentissimus & Expe-  
rientissimus Medicus Dn. D. JOACHIMUS STOCK-  
MANNUS ita describit! *Hereditaria scorbuti semina,*  
*quæ sæpius germina sua prodidere, & in prima, quod dicitur,*  
*herba aliquoties resecari quidem, sed penitus eradicari non*  
*potuerunt, novis tacitè sunt incrementis, & inopinato fa-*  
*cta fermentatione in febrem eruperunt cum animi deliquis*  
*perniciosam: cumque pectus & pulmones occupassent, sua*  
*malignitate vitales in corde spiritus paulatim infecerunt, &*  
*tandem pro dolor! extinxerunt. Hic affectus ante dies*  
*quatuordecim eum lecto penitus affixit, prostratis vi-*  
*ribus enervavit, adeoque spem & operam omnem*  
*Medicorum frustraneam reddidit Quem mortis pro-*  
*dromum*



Arromum & anteambulonem cum sentiret agrotus,  
protinus mente à terrenis & caducis ad cœlestia sevo-  
catâ, ut tentationum spicula, quæ morientium animos  
assultare solent, anteverteret tantoque fortius elide-  
ret, istud Paulinum ex 2. Tim 2. *Halt im Gedechtnis Je-  
sum Christ/ der von den todten auferstanden ist / etc.* ani-  
matis quasi vivisq; literis fidei pectori inscribendum  
statuit, & Reverendo admodum Clarissimoq; Dn. Li-  
cent. JOACHIMO LUTKEMANNO maturè accer-  
sito, pœnitentiam ac fidem suam contestatus, ab eodè  
alexipharmacum absolutionis peccatorum pariter &  
corporis sanguinisq; Domini petiit atq; obtinuit.  
Tandem dispositione rerum factâ, semetipsum salvis-  
cis JESU CHRISTI vulnerib; fide involvens, suosq;, quos  
post se relinquit, divinæ benignitati & patrocinio com-  
mittens inter preces & suspiria animam Sospitatori  
suo, elapso Mercurii die, qui erat VII Octob. inter ter-  
tiam & quartam pomeridianam sine metu, sine motu  
à quo acceperat placidissimè reddidit: & ex terrestri  
patria, quam XLIV. annos incoluerat, in cœlestem  
migravit.

Vos Academiae Cives cadaver terræ matri man-  
dandum, frequentes comitabimini. Vestris sæpe com-  
modis & utilitatibus serviit Emortuus; memorem be-  
nefactorum animum hoc ipso demonstrabit, si in  
templo Jacobæo hodie horâ primâ conveneritis, &  
exsequias frequenti comitatu honoraveritis. Quod  
ut faciatis, amicè ac diligenter contendo. P. P. Ro-  
stochii IV, IDUS Octobr. An. clo lcc XLVI.

••(o)••




















temporis DEO mirabiliter dirigetam, Patriam suam Helvetiam, Praelinquens in Romanum imperium. Sincerum verbum DEI progerminat vir juvenis, Linguarum, Historiarum, (cujus amore cum primis flagrabat) incubuit, ita ut Imperator Carolus Poetica, in quibus inter alia egregia descripsit, non sine singulari assistante Caesaris documento) legit, ac ream, quae tum magna erat dignitas, occasione stemma Nobile Fidlerianum Album Nobilium Romani Imperii, & ultra, pro placito Caesareo cooptatem utriusque sexus derivandum, perrenovavit. Huncque meum praenolicem Fidlerum ob singularem eruditum ingenij & animi Heroici dotes, probuit. Hac Nobilitate quamvis non gratia Domini mei Jesu Christi, inmerenter mihi immerito concessa: Tamen pudet, sed magis me nobilitare cum S. S. Ministerium, ad quod Dominus ministerum suum destinavit. Haec summa dignitas, omnes humanas dignitates superans.

Natus autem sum Ego CONSULERUS, Dantisci Anno 1579. 6. Martina Patre VALERIO FIDLERORE, quondam Ducis Prussiae Archiepiscopi Alberti Friderici Consiliario, Margard praeclearae Familiae, & insignium

A 2

173  
me detestorios deredam, ubi venit, ceu & Poese diligenter opera, Germanate (teltrò laurit, & hac cum, ad centum posteritatem Caesareo vum Feaclaroario habesed solâ erio clejus non ogiam & avit, & as: haec onorum  
IS FID-  
tâ matu-  
e Docto-  
ij Ducis,  
ob Herm-  
Matronâ,  
quae

